UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Neque cæruleus, ut Hieronymus & alii ... interpretantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

Visual Library

rum ut plurimum fuerunt, & quidem Senatorum apud Romanos inſigne, unde Juvenalis:

Iuven. ſat. 7. ℣s 190.

——— Nobilis & generoſus
Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

uti jam dudum animadverterunt homines eruditi. Ut תחש non poſſit de colore nigro intelligi, cum hic non niſi fœminarum ornatus exprimatur, quibus non conveniunt calcei nigri.

VI. Quid Græci intellexerint per vocem ὑάκινθον, qua reddiderunt Hebræorum תחש, non adeo certum eſt. Etenim tam pro *cæruleo* quam pro *purpureo* colore apud idoneos ſcriptores uſurpatur. Qui tamen à ſe invicem non ſunt parum diverſi. Ut nondum conſtet, qualis fuerit color hyacinthinus, *cæruleus* an vero *purpureus*. Et quidem pro *cæruleo* Hieronymus accepit. Notat ad hæc verba,

Hier. in Ezech. 16. 10.

calceavi te hyacintho, vel ut alii *ianthino: cum loti fuerint pedes, & omni ſorde purgati, calceantur hyacinthinis*, vel ut alii *Ianthinis, quod utrumque aerii & κυανέου coloris eſt,*

ut

ut rapiantur in occurſum Domini in aerem, & ad cæleſtia regna feſtinent. Idem alibi: *Involucra hyacinthina, propter coloris ſimilitudinem, referamus ad aerias poteſtates.* Neque Hieronymus tantum, ſed & alii complures cum cœlo & aere hyacinthum & hyacinthinum contulerunt. Ita Origines, Theodoretus, Gregorius Nyſſenus, Ambroſius. Quomodo & Arabum interpretũ unum עורות תחשים *pelles coloris cæleſtis* reddidiſſe ſuperius vidimus.

Hier. in Ezech. 27. 24.

Orig. in Exod. Hom. 13. Theodor. in Exod. Quæſt. 6. Gregor. Nyſ. de vita Moſis. Ambr. in Apoc. 9.

VII. At nos ὑάκινθον male exponi colorem cæruleum putamus. Eſt quidem is color etiamnum uſitatus in pompaticis Regum Gallorum calceis, quos è ſerico, velutove cæruleo, cum liliis aureis opere Phrygio intextis, confici conſueviſſe, auctor eſt Monſtreletus. Quales in variis Galliꝫ locis in multis Regum Gallorum imaginibus poſſe obſervari, monuit vir doctiſſimus Benedictus Balduinus. Ac præ omnibus unam, eamque inſignem HENRICI MAGNI effigiem, ad vivum expreſſam, quæ in regio illo cænobii Sandio-

Bald. de Cal. Ant. cap. 4.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN